Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

Zsch
F XVII 19
Q
(1–23)

St. XVII. 19.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

IVSTI HENNINGII BÖHMERI

FACVLT. IVRID. DECANI,

EPISTOLA GRATVLATORIA.

16 b

PER-ILLVSTRIS
BARO,

ALtera vice cathedram aſcendis, & eruditum ingrederis certamen, eo illuſtrius appellandum, quo inuſitatius pleriſque id ipſum apparet. Ante annum & quod excurrit, publice ex eadem cathedra de *feudis eccleſiaſticis* ediſſerebas, cum omnium, qui præſentes erant, applauſu. Felicior hic ſucceſſus TIBI ingens addebat calcar, vt maiori adhuc impetu in addiſcen-

diſcendas optimas artes rueres, & non ſine ſanitatis TVAE detrimento etiam id, quod ſtudiis TVIS adhuc deeſſe videbatur, ſuperadderes, perficeresque. Optime Tibi conſtabat, longum iter eſſe per campum illum, quem auſpicato ingreſſus fueras, non ſine difficultatibus ſcopuliſque ſuperandum. Quotidie TIBI ob oculos aliorum labores verſabantur, quos in rem TVAM vertebas, ſimulque facile intelligebas, multum inter doctrinam *ſolidam* & *ſuperficiariam* eſſe; hanc quidem non multi laboris negotium deſiderare, illam vero non ſine curis vigiliisque & magna mentis auiditate impetrari poſſe. Solidæ itaque doctrinæ TE totum dabas, & quicquid in omni ſtudiorum genere ſalutare, quicquid perpolitum, & humano generi vtile erat, mirifice TE delectabat, TEque adeo afficiebat, vt nihil TE ab eius penitiore conſideratione & inſpectione auocare & abſtrahere potuerit. His tandem inſtructus præſidiis patrios reuiſere lares & ad iter cum per-illuſtri ſtudiorum Tuorum pariisque induſtriæ & eruditionis limatæ ſocio L. B. de DANCKELMAN ſuſcipiendum TE præparare intendis, vt etiam ex terris peregrinis quædam decerperes, quæ commodis Tuis inſeruire poſſent. Denique, in quo præcipua TVA laus eſt, præeunte perilluſtri itineris ſocio, Te ſolennibus ſubieciſti examinibus academicis, & quia ſuffragia totius ordinis ICtorum tuliſti,

alte-

alterum examen, publicum ſcilicet, nunc ſubis, & ita quoque ornamentum inſigne, exemplo hoc omnibus ad imitandum propoſito, academiæ noſtræ concilias. Hi TVI egregii conatus eo magis mihi voluptati fuere, quo intimiori amicitia TVA per omne tempus, quo in hac muſarum ſede literis incubuiſti, perfrui potuerim. Ferreus itaque eſſem, & in leges officiorum admodum peccarem, niſi & TIBI, ILLVSTRIS BARO, ex animo applauderem, & ſimul PERILLVSTRI PARENTI TVO de tam digniſſimo filio ea qua par eſt animi deuotione gratularer, quod vtrumque officium his codicillis efficio, meque & TIBI & PERILLVSTRI PARENTI TVO de meliori commendo, & tandem quæuis fauſta ad iter, quod meditaris, & TIBI, & SOCIO TVO PERILLVSTRI apprecor. Dab. Halæ d. X. Oct. MDCCXVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

W18
PiCA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-333504216-10

IVSTI HENNINGII
BÖHMERI
FACVLT. IVRID. DECANI,
EPISTOLA GRA
TVLATORIA.